

E P I S T O L A

superassent: nisi quia iuueniles animos atq; affectus procul faceffere, nullos nisi graui iudicio, reuerentiaq; senili maturos ad tanta mysteria cognoscenda tractandaq; accedere voluerunt, quibus percipiendis nulla humana ætas sat matura esse possit absque numinis afflatu.

Vndecimus nunc vertitur annus, quando ego climactere septimo exacto ad interpretandam Genesin in Academia accessi, ætate vtique haud præmatura. Quam si pe vero sensi mihi aquam hæere? Quoties retro litus respexi, in altum Oceani huius prouectus? Cœlitus tamen Fauoniis aspirantibus, gratiaq; numinis clauum dirigente, quarto post anno vastum quasi pelagus permensus, fausto tandem sidere portum optatum cõtigi. Non absterruerunt me veterum recētiumq; interpretum sudores, sed conatum accenderunt promoueruntq; Si enim illis vtile & pulchrum visum fuit, in eruendo hoc Ecclesiæ thesauro laborem collocare, mihi quoque in illustrando eo studium ponere duxi licitum honestumq;. Quod ita me fecisse profiteor, vt vix vllus sit omnium, cuius nō peruestigarim cōmentarios diligentissime: vix quicquam illi dixerint melioris notæ, quod imitatione non expresserim meumq; fecerim: non aliena maligne suppilando, sed suam cuique palmam ingenue tribuendo: insuperque afferendo, quæ & mihi Spiritus Domini suggestit: maxime ad præsentem Ecclesiæ vsum, præsentisq; controuersias enucleandas pertinentia: Quondam enim Manichei, Iuliani, Porphyriani similesq; fanatici Mosis authoritatem blasphemæ conuellebant. Alij historiam in meras allegorias & quasi *deformata* poetica transformabant, aduersus quos veterum Commentarij præcipue disputant; in eoque genere eminent tres *Augustini* Commentarij in Genesin scripti, sed omnes imperfecti. Vnus *Chrysostomus* literalem sensum homiliis non infeliciter illustrauit, addita morali doctrina pro more. Nunc vero hostes S. Trinitatis & gratiæ Christi Iudæi, Samosatreniani, Sociniani, Iesuitæ, & similes furia blasphemis argutiis in Mosis verba passim insurgunt, mentemq; deprauant. Horum igitur picturata Sophismata, & strophæ contortæ, *Fausti* dico *Socini* & *Georgii Euidini* Samosatrenianorum aduersus æternam Filij & Spiritus sancti Diuinitatem, nec non aduersus iudiciariam Dei iustitiam; haud minus immutabilē quam liberam, cuius euersione illi satisfactionem & meritū Christ subuertere cogitant: *Roberti* item *Bellarmini* & *Benedicti Pererij* Iesuitarum aduersus fidei iustificationem seu iustitiam fidei imputatam, suis quæq; locis præcipue mihi retexendæ ac discutiendæ fuerunt. In sacri contextus dictionibus, phrasib. & idiotismis, ad sanctę linguæ proprietatē accurate exigendis (quę diligētia prorsus ad natinum Scripturę sensum eruendū fuit necessaria) admodum adiutum me fateor *Iohannis Merceri* eruditissimo cōmentario, qui id temporis prodierat. Et si autem summis illis nostri qui Scripturarum interpretibus, Lutheri, Martyri, Caluino, Musculo, & quorum præterea in Genesin